

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Assuerus Ampzing

**Programma In Obitum Catharinae Heiniae, filiolae Viri ... Dn. Friderici Heinii, I.U.D.
consultissimi**

Rostochi[i]: Pedanus, 1627

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771248636>

Druck Freier  Zugang



Assverus, J.,

in C. Hein.

Rost. 1627.

15



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn771248636/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771248636/phys_0004)

DFG

PROGRAMMA

In Obitum.

CATHARINÆ
HEINIÆ,
filiolæ

Viri Clariſſimi Doctiſſimi

DN. FRIDERICI HEINII,
J. U. D. consultiſſimi.



ROSTOCHI

Literis JOACHIMI PEDANI,
ANNO M. DC. XXVII.

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTO-
CHIENSIS
JOANNES
ASSVERUS
Ampsingus Transisulanus Med.
D. ac Professor.

Aulus Doctor Gentium i. Cor. 7.
Cœlibatum Matrimonio præfe-
rens varijs argumentis utitur. Po-
sitio ejus est. *Velim omnes homi-
nes esse ut ego sum*, vers. 7. & v. 8.
Dico autem Cœlibibus & viduis Bo-
num eis est, si manserint ut maneo e-
go. Et iterum vers. 26. Bonum esse
homini itaesse. Et vers. 38. Qui dat
nuptum: bene facit. Qui verò non dat nuptum: me-
lius facit. Et vers. 40. Sed beator est si ita maneat, secun-
dum meam sententiam: puto autem me quoq; Spiritum Dei
babere.

Argu-

Argumenta qvibus positionem hanc confirmat, varia sunt, vers. 26. propter instantem necessitatem, & v. 28. sed afflictionem in carne habituri sunt, qvi sunt ejusmodi, scilicet ego vobis parco. Et vers. 32. Velim autem vos absq; solicitude esse. Quid celebs est: curat ea quae sunt Domini, quomodo placiturus sit Domino. At qdixit uxorem: curat ea quae sunt mundi, quomodo placiturus sit uxori. Quae est innupta: curat ea quae sunt Domini, ut sit sancta cum corpore tum Spiritu. Quae verò nupta est: curat ea quae sunt mundi, quomodo placitura sit viro. Et vers. 37. Quid stat firmus in corde, nec adigitur necessitate, sed in potestate habet propriam voluntatem, & hoc decrevit in corde suo ut servet suam virginem: benè facit.

Prima ergo ratio est propter instantem necessitatem. qvæ, dicente qvodam Theologo doctissimo, Sanctos solet assidue urgere; qvorum videlicet perpetua est iactatio, ut eorum conditio minime videatur ad Conjugium accommodata, qvam qvidem conditionem ipse Apostolus explicat, 2. Cor. 4. à versu 6. usq; ad 11. cùm inquit, In oppressionibus in N E C E S S I T A T I B U S, in angustijs, in plagis & carceribus, laboribus, vigilijs, jejunij, &c. Et multo adhuc fusiùs 2. Cor. 11. & seqq. cap. ubi inquit. in fatigationibus, in vulneribus, in carceribus, in mortibus saepe, A Iudæis qvinquies accepi quadragenias plagas, unâ minus. Ter virgis coesus sum, semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi. In itineribus saepè fui, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis à meis gentilibus, periculis in civitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres, in fatigatione & ærumna, in vigilijs saepè, in fame & siti, in jejunij saepè, in frigore & nuditate. Praeter

ter illa urget sollicitudo de omnibus Ecclesijs. Qvis affligitur, qvin ego affligar? Qvis offenditur, qvin ego urar? Deus novit me non mentiri. In urbe Damasco praefectus custodiebat civitatem cupiens me prehendere; sed per fenestram in sporta demissus fui per mœnia, & ejeus manus effugi. Et 1. Cor. 4.11. Esurimus & sitimus, & nudi sumus, colaphis cædimur, & incertis sedibus erramus, & laboramus operantes proprijs manibus. Ibidem. Spectaculum facti sumus mundo & angelis & hominibus. Et iterum. Purgamenta mundi facti sumus, utq; omnium sordes usq; adhuc. Edictis afflictionibus patet, qvam parum conditio tum Christianorum in genere, tum maximè piorum Ministrorum tempore persecutionum ad Matrimonium sit accommodata.

Contra Pseudo-apostoli & Servis eur Ministri Ventris, Rom. 16,17. & 2. Cor. 6.3. Phil. 2.21. Phil. 3.17.18.19. Tum verò citato loco, 2. Cor. 11,13. operarij dolosi, qui transformantur in Apostolos Christi, sicut ipse Satanus transformatur in angelum lucis, qui Ecclesias devorant, & aiciunt ab eis. Qui devorant domos viduarum, canes ingluviosi nescientes saturitatem, suum qvisq; lucrum sectantes, qui purgant exteriorem poculi partem: intus autem pleni sunt rapina & intemperantia. Horum longè alia est conditio qvam Ministrorum Christi. ideoq; voluptuantur, helluantur, vinoq; impletî pleno impetu ad luxuriem feruntur. qvorum finis est exitium, dicente Apostolo & gloria cum confusione eorum.

Altera pro Cœlibatu, Pauli ratio est. Conjuges afflictionem in carne habituri sunt: sed ego vobis parco. Carnis nomine, dicente nuper citato Theologo, comprehendit, qvæcunq; ad præsentem vitam spectant; Conjugium

jugum enim multa secum incommoda trahit. Ingens
animi dolor est cum vel Conjuges ipsi per mortem ab in-
vice separantur, vel etiam charissima tori pignora a-
mitunt, ut in hodierno exemplo, de quo mox dicam.
Variane autem Afflictiones domesticæ pro diversa homi-
num conditione de quibus fusius dicendi locus modò
non datur.

Tertium argumentum Paulinum. Qui cœlebs est :
curat ea, quæ sunt Domini, quomodo placiturus sit Do-
mino. At qui duxit uxorem : curat ea quæ sunt mundi,
quomodo placiturus sit uxori. & vice versa. Quæ est in-
nupta : curat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta cum cor-
pore tum spiritu. Quæ verò nupta est : curat ea quæ sunt
mundi ; quomodo placitura sit viro. Multa sunt impe-
dimenta conjugum, à quibus liberí sunt cœlibes. Uxo-
rem duxi, dicebat ille in Evangelio, Luc. 14, 20. & ideo
non possum venire. Alius agrum emerat, & alius quinve
boum juga, quibus se excusabant de non veniendo ad
cœnam Dominicam.

Quartum Paulinum argumentum. Qui stat firmus in
corde, nec adigitur necessitate, sed in potestate haber
propriam voluntatem, & hoc decrevit in corde suo ut
servet suam virginem : bene facit. Concordat cum
verbis Servatoris. Sunt Eunuchi qui ex matris utero
nati sunt ita : & sunt Eunuchi qui castrati sunt ab homi-
nibus : & sunt Eunuchi, qui seipso castrarunt propter re-
gnum cœlorum. Qui potest capere : capiat, Matth. 19.12.
Hoc fonte fluxit Votum & Donum continentiae mona-
sticum. Et putant Pontificij omnes qui tempore Voti
in potestate habuerunt propriam voluntatem, & hoc fir-
miter semel decreverunt, in corde suo, ut servent suam

virginem, castrantq; seipsoſ propter regnum cœlorum : donum continentiae non amittere, modō hæc tria conservandi hoc donum adminicula, non intermittent. 1. orationem jugem contra Diabolum. 2. jejunium & temperantiam contra luxuriam. 3. cautionem de occasionibus incontinentiae vitandis. Vide Bellarminum Tomo 2. lib. 1. cap. 21. Sed ego jam h̄ic desino hanc Camerinam movere amplius : ne qvi aliquot superioribus Intimationibus habitus fui Calvinista, nunc Papista audiam. Transeo ergo ad materiam hodierni funeris.

Vir clarissimus juxtaq; & Doctissimus, Dn. FRIDERICUS HEINIUS, J. U. D. filiolam suam CATHARINAM, hodie tumulo recondet, qvæ in hanc vitam prodierat 24. Octobris anno superiore 1626. Fonte sacro tincta fuit ejusdem mensis die 26. Tandem de vita rursum excessit 18. Febr. 1627.

Avus paternus ipsi fuit JC. eximius, in hac Academia Antecessor celeberrimus, D. ALEERTUS HEINIUS, Professor Decretalium ordinarius, Illustrissimo Principi ac Domino, Dn. JOANNI ALBERTO, Coadjutori Episcopæ Ratzeburgensis, Duci Megapolitano, Principi vetustæ gentis Henetæ, Comiti Svverinensi, Rostochij & Statgargiaæ Domino, Domino nostro clementissimo à Consilijs, amicus & fautor meus, omni officiorum genere, colendus. Una cum germanis fratribus D. JACOBO & D. HINRICO HEINIIS, V. J. Doctoribus practicis excellentissimis, & ipsis dominis amicis & fautoribus meis. Proavus verò illi fuit magnus ille FRIDERICVS HEINIUS, JC. incomparabilis, Professor, Consul & Syndicus hujus tum Academiæ tum urbis nunquam satis laudatus, cuius merita in

hanc utramque rem publ. extant nullis unquam seculis intermoritura. Et hec quidem de Macariotis nostrae Majoribus masculini sexus, Aviam verò paternam habuit CATHARINA M. Horsmans/ fœminam dum vivebat, matronalium virtutum splendore conspicuam.

Matre nata est ELISABETHA HANEN, BALTHASARIS HANEN, civis qvondam hujus urbis primarij, filiâ Aviam maternam habuit ANNAM LVSCOVIA M, è primaria & vetusta LVSCHOVIORVM familia oriundam, fœminam lectissimam & ornatu virtutum qvæ sexum fœmineum ornant, tum rei gerendæ familiaris peritiâ nulli secundam. Avum maternum habuit virum famigeratum, & JC. non è multis D. MARCVM LVSCHOVIVM, & ipsum Professorem Consulem & Syndicem hujus urbis consultissimum. Talibus ac tantis Majoribus orta fuit Defunctula nostra, qvæ si aliquantulum adolevisset, spem haud dubie complurium virtutum editura fuisset. & ceu recens flosculus gratissimam morum fragrantiam de se sparsura.


Res gestæ Infantis nullæ narrari possunt, nisi passim: Summa illi felicitas fuit, quod nata fuerit Ecclesiæ civis & divini fœderis consors: unde Peccatum Originis eam constituere filiam iræ non potuit, perinde atque; Turcarum aliarumque gentium infidelium liberos. Plus enim valet gratia qvam peccatum in fœderatis, nec habet peccatum quod in eis sibi vendicet præter prioritatem ordinis. Accessit ad eam felicitatem quod insuper laverio regenerationis tincta, & actu publico in Ecclesiam initiata fuerit, obsignata, renovata, & iteratò datâ illi remissione peccatorum & sanctificatione, & Christi tum justitiâ, tum sanctitate ipsi imputata,

Quid

Quid lugetis, quid lamentamini, quid plangitis parentes? Gaudete potius, mortua est, at omnibus est moriendum. Mortua est morte immaturâ, at mortua certo vivit & æterna beatitudine fruitur. & mortua est tali morte qualem optare sibi possint mille adulti. Erepta huic seculo ceu mari tempestuoso, nunc in portu & vado constituta est æternæ salutis. Pateret hic mihi amplius consolandi campus: sed vela me oportet contrahere, ob papyri angustiam.

Nunc vos Cives Academici ite exseqvias freqvencissimo comitatū, hora prima pomeridiana in templo Jacobæo. Exigunt hoc à vobis parentes, exigit hoc avus paternus, exigunt uterque proavus. Exigunt ambæ amplissimæ HEINIORM & LVSCHOVIORM familiæ. Date etiam aliquid meæ petitioni & adhortationi. Inter cundum ostote memores vestræ mortalitatis, cogitate serio de vestra etiam beata ex hac vita emigratione. Rogate Deum ut cladem belli à cervicibus nostris clementer avertat, & pacem det in diebus nostris, estote solliciti, de Deo per seriam pœnitentiam placando, ut ipsius apud nos foedus maneat nullis unquam seculis interrumpendum, sitque ille nobis pater, & nos ipsi filii. Ipsam etiam misellam & afflictam Academiam, tum & urbem hanc, & Provinciam universam Deo precibus vestris commendate. P. P. 20. Febr. 1627.







Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn771248636/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771248636/phys_0016)



jugum enim multa secum incommoda trahit. animi dolor est cum vel Conjuges ipsi per morte-
m separantur, vel etiam charissima tori p-
mittunt, ut in hodierno exemplo, de qvo mo-
Variane autem Afflictiones domestice pro di-
num conditione de qvibus fusius dicendi loco
non datur.

Tertium argumentum Paulinum. Qvi co-
curat ea, qvæ sunt Domini, qvomodo placitur
mino. At qvi duxit uxorem: curat ea qvæ sur-
qvomodo placiturus sit uxori. & vice versa. Q
nupta: curat ea qvæ sunt Domini, ut sit sancta
pore tum spiritu. Qvæ verò nupta est: curat ea
mundi; qvomodò placitura sit viro. Multa su-
dimenta conjugum, à qvibus liberí sunt cœliba-
rem duxi, dicebat ille in Evangelio, Luc. 14, 2.
non possum venire. Alius agrum emerat, & alii
boum juga, qvibus se excusabant de non ve-
cœnam Dominicam.

Quartum Paulinum argumentum. Qui stat
corde, nec adigitur necessitate, sed in potest
propriam voluntatem, & hoc decrevit in cor-
servet suam virginem. bene facit. Concor-
verbis Servatoris. Sunt Eunuchi qvi ex ma-
nati sunt ita: & sunt Eunuchi qvi castrati sunt
nibus: & sunt Eunuchi, qvi seipso castrarunt p-
gnum cœlorum. Qui potest capere: capiat, M.
Hoc fonte fluxit Votum & Donum continent-
sticum. Et putant Pontificij omnes qvi tem-
in potestate habuerunt propriam voluntatem
miter semel decreverunt, in corde suo, ut ser-

A 3




Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No. 0113

Patch Reference numbers on UTT

10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

the scale towards document